

CORNELII TACITI

et subterraneos specus aperire eosque multo insuper fimo
onerant, suffugium hiemis et receptaculum frugibus, quia
rigorem frigorum eius modi loci molliunt, et si quando
hostis advenit, aperta populatur, abdita autem et defossa
aut ignorantur aut eo ipso fallunt quod quaerenda sunt. 5

17 Tegumen omnibus sagum fibula aut, si desit, spina con-
sertum: cetera intecti totos dies iuxta focum atque ignem
agunt. locupletissimi veste distinguuntur non fluitante,
sicut Sarmatae ac Parthi, sed stricta et singulos artus expri-
2 mente. gerunt et ferarum pelles, proximi ripae neglegenter, 10
ulteriores exquisitus, ut quibus nullus per commercia cultus.
eligunt feras et detracta velamina spargunt maculis pellibus-
que beluarum, quas exterior Oceanus atque ignotum mare
3 gignit. nec aliis feminis quam viris habitus, nisi quod
feminae saepius lineis amictibus velantur eosque purpura 15
variant, partemque vestitus superioris in manicas non ex-
tendunt, nudae brachia ac lacertos; sed et proxima pars
pectoris patet.

18 Quamquam severa illic matrimonia, nec ullam morum
partem magis laudaveris. nam prope soli barbarorum sin- 20
gulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui
non libidine sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur.
2 dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert. inter-
sunt parentes et propinqui ac munera probant, munera non
ad delicias muliebres quaesita nec quibus nova nupta 25
comatur, sed boves et frenatum equum et scutum cum
3 framea gladioque. in haec munera uxor accipitur, atque
in vicem ipsa armorum aliquid viro adfert: hoc maximum
vinculum, haec arcana sacra, hos coniugales deos arbitran-
4 tur. ne se mulier extra virtutum cogitationes extraque 30
bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis